



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Reiffenstuel, Anaklet

Monachii, 1699

II. Quæ sint pœnæ recipientiu[m] plura Beneficia incompatibilia?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40206

QUÆSTIO II.

Quæ sint poenæ recipientium plura Beneficia
incompatibilia ?

Illicitum
est, plura si-
mul obtine-
re Beneficia
incompati-
bilia.

13. **C**ONCL. I. Quodcumque vel alterum Beneficium suf-
ficat ad honestam Clerici sustentationem, vel ipsamet
Beneficia de se sunt incompatibilia, illicitum est, sicque
peccaminosum, plura simul obtinere circa dispensationem Pon-
tificiam. Ita communis. Et quidem, quantum ad primum mem-
brum attinet, patet illud ex c. *Ad hæc. de Prab.* ibi : *Illud est omni ra-
tioni contrarium, ut unus Clericus in una, vel diversis Ecclesijs, plures Di-
gnitates, vel Personatus obtineat. &c.* Huc accedunt textus, & mala,
ex pluralitate Beneficiorum provenientia, de quibus num. 1.

Citra di-
spensationem
Pontificiam.

14. Altera pars, loquens de dispensatione Pontificia, ex eo
probat : quia habere plura Beneficia, non est intrinsecè ma-
lum, sicuti mentiri, blasphemare &c. sed quamvis habeat quan-
dam mali speciem, ea tamen concurrentibus certis causis coho-
nestari potest.

Triples
causa dispē-
sandi in
pluralitate
Beneficiorum.

15. Porrò ejusmodi justa causa dispensandi in pluralitate Be-
nificiorum, triplex à Doctoribus recenferi solet ; videlicet ne-
cessitas Ecclesiæ, utilitas Ecclesiæ, & evidens meritorum præroga-
tiva, arg. c. *Tali. 1. q. 7.* ibi : *Nisi forte eos aut maxima Ecclesie utilitas,
vel necessitas postulet, vel evidens meritorum prerogativa commendet.*

I. Necessitas
Ecclesiæ.

16. Et quidem ob necessitatem Ecclesiæ possunt quando-
que plura Beneficia, etiam ultra congruam Clerici sustentatio-
nem conferri, si desint alij idonei Ministri : utputà in locis Hære-
ticorum, in quibus est defectus Clericorum.

II. Utilitas
Ecclesiæ.

17. Deinde ob utilitatem Ecclesiæ id accidere potest, quan-
do unus solus, licet absens, magis putatur Ecclesiæ profuturus suâ
auctoritate, potentiâ, doctrinâ & prudentiâ, quàm alius præsens,
vel plures alij : qua de causa filijs Principum conferuntur interdum
plures Episcopatus, etiam ante ætatem, ut Ecclesiæ contra
Hæreticos potentiùs defendantur. Pirhing tit. de Prabend. num.
191. & alij.

III. Evidens
meritorum
prærogati-
va.

18. Tandem de evidenti meritorum prærogativa habetur
textus clarus c. *De multa. §. fin. de Prab.* ibi : *Nullus plures Digni-
tates,*

Quest. II. *Quae sint poena recipientium plura Beneficia Incomp. 705*
tates, aut Personatus habere praesumat, etiamsi curam non habeant anima-
rum. Circa sublimes tamen, & litteratas personas, quae majoribus sunt
beneficij honoranda, cum ratio postulaverit, per Sedem Apostolicam poterit
dispensari.

19. CONCL. II. Quicumque defacto plura incompatibilia
Beneficia, sive curata, sive alia incompatibilia, simul recipere, ac
retinere praesumpserit, per receptionem secundi mox priori Be-
neficio est ipso jure privatus; & is, ad quem spectat prioris col-
lacio, liberè illud confert, statim atque institutus secundum re-
cepit. Ita habetur *cit. c. De multa. de Prabend. junctâ Extravag. de*
Execrabilis. §. Qui verò. eod. Accedit Concilium Trident. Sess. 7. *de*
Reform. cap. 4. quod praedicta jura innovavit, & cum illa loqueren-
tur duntaxat de Dignitatibus, Personatibus, seu Officijs, aut alijs
Beneficij curam animarum habentibus annexam) ad alia Be-
neficia, etiam quomodolibet incompatibilia extendit; prout
notat Fagnanus in *cit. c. De multa. num. 3.* allegans decisio-
nem Rotæ, Garciam affirmantem, ita esse indubitanter tenen-
dum, & alios.

20. Dicitur notanter in Conclusionem, *Quicumque defacto*
Quia sermo est de tempore moderno post Concilium Tridenti-
num: nam antehac variae successivè emanarunt Constitutiones
Pontificiae, ut videre est c. Referente. de Prabend. & c. Quia nonnulli. de
Cleric. non resid. & cit. c. De multa. atque Extrav. Execrabilis. Verum
moderno tempore post Concilium Trident. procedit Conclu-
sio, adeo ut huius Decretum Fagnanus *loc. cit. num. 5.* ex quadam
Cardinalium declaratione extendat ad plura Beneficia simpli-
cia, si personalem residentiam requirant, aut primum ad con-
gruam Clerici sustentationem sit sufficiens: nam & talia secun-
dum Canones sunt incompatibilia.

21. Additur verò, *per receptionem secundi.* Siquidem sola
affectatio de altero Beneficio consequendo non sufficit ad in-
ducendam dictam poenam privationis, sed requiritur actualis
receptio, atque possessio secundi Beneficij: hoc enim impor-
tatur per *receptionem*, id est, corporalem ademptionem, ut expli-
cat *cit. Fagnanus n. 9. & tenet Glossa in c. De multa de Prabend.*
Accedit ratio: quia in jure *verba accipienda sunt cum effectu, c. Re-*
latum. de Cler. non resid. & alibi.

22. Quinimò ob hanc rationem similiter non censetur va-
care primum Beneficium per ademptionem secundi Beneficij;
cujus fructus ex causa etiamnum alius percipit; prout clarè de-
cisum percipiat.

Plura in-
compatibi-
lia Beneficia
recipiens,
ipso jure
privatus est
priori.

Intellige,
defacto;

Et post re-
ceptionem,
seu posses-
sionem se-
cundi.

Fallit si quis
fructus se-
cundi Bene-
ficij necdū
percipiat.

cifum habetur *c. Si tibi concesso. de Prab. in 6.* Rationem hujus
ulteriorem dat Glossa *ibidem, §. Vacare*: quia talis non est adeptus
plenè; licèt enim Beneficium habeat, fructus tamen non habet:
& alioquin talis cogeretur mendicare, cùm fructus ex secundo
Beneficio non haberet, primo autem privatus existeret.

Dicta priva-
tio defacto
incurritur
ipso jure.

23. Dicitur ulterius in Conclusionè, *priori Beneficio est ipso
jure privatus.* Siquidem, ut hæc privatio modernis temporibus
incurratur, non ampliùs opus est sententia Judicis eam infligen-
tis, ut olim *c. Quia nonnulli. de Cler. non resid. sed defacto inducitur
ipso jure; prout liquet ex cit. c. De multa. de Prabend. juncto Conci-
lio Trident. Sess. 7. de Reform. cap. 4.*

Ea quomo-
do intelli-
genda?

24. Cæterùm hæc Beneficij privatio intelligenda est quo-
ad titulum, seu jus illud retinendi, non quoad possessionem:
nam possessione Beneficij ejusmodi Clericus privari non potest,
nisi causâ cognitâ; prout desumitur ex *c. Licet Episcopus. de Pre-
bend. in 6.*

Solvitur ne-
tabilis in-
stantia.

25. Si dicas. Privatio Beneficij, & ipsum Beneficium ne-
queunt simul stare, cùm privativè opponantur; ergo si Clericus
ille ipso jure privatus est Beneficio, repugnat, quòd adhuc eius
possessionem retineat. Resp. distinguendo antecedens: pri-
vatio Beneficij quoad titulum & possessionem simul, nequit ita-
re cum Beneficio, conceditur: privatio Beneficij quoad titu-
lum duntaxat, nequit stare cum Beneficio, seu possessione ejus,
negatur antecedens, & consequentia. Nam, ut notat Iestius
lib. 2. de just. & jur. cap. 29. num. 64. leges illæ, quibus additur, quòd
delinquens ipso facto sit privatus officio & Beneficio, privant
titulo, seu jure ad Beneficium, quatenus ipso facto quis amittit
jus ad illud; nondum autem ejus possessione, nisi post sententiam
Judicis.

Quid, si quis
primum
cum secun-
do retinere
contende-
rit?

26. CONCL. III. Insuper si quis prius Beneficium unà cum
secundo fortè retinere contenderit, etiam secundo privatus exi-
stit. Ita habetur *cit. c. De multa, juncto Concilio Trident. Sess. 7.
cap. 4. de Reform. & tradit Fagnanus cit. c. De multa. num. 6. & 8.*
dicens, hanc pœnam ipso jure incurri. Ubi ulterius addit,
quamvis Glossa super illam dictionem, *contenderit*, asserat, ad
hoc, ut quis secundo etiam Beneficio ipso facto privatus existat,
requiri, quòd quis utrumque in jure contentiosè retinere volue-
rit usque ad litis contestationem: contrariam tamen aliorum
sententiam, qui volunt. *ex sola retentione primi Beneficij cum
secundo jam induci dictam privationem utriusque Beneficij,
etiam-*

etiam si quando quis incipit conveniri, vel prius dimittere, esse tenendam; eò præsertim, quia Concilium Trid. loc. cit. hanc poenam jure ipso imponit illi, qui ejusmodi Beneficia incompatibilia recipere, & simul retinere præsumpserit.

27. Quæres, an in nullo prorsus casu possit quis simul habere plura Beneficia? Resp. Hoc in nonnullis casibus accidere posse. Et primò quidem per legitimam dispensationem, de qua superius num. 15. & seqq. Deinde id accidit sine dispensatione, quoties ipsa Beneficia non sunt incompatibilia: prout fit in Beneficijs simplicibus, quorum singula ad honestam sustentationem Clerici non sufficiunt. Tertio, si Ecclesia Cathedralis, vel Parochialis, aut Dignitas, ob tenuitatem fructuum non sufficiat congruæ sustentationi Rectoris sui, potest simul cum ea uniri, vel obtineri, Beneficium simplex non requirens residentiam, juxta Concilium Trid. Sess. 24. de Reform. cap. 15. & 17. Insuper ob eandem Ecclesiarum paupertatem possunt Episcopi, tanquam Sedis Apostolicæ Delegati, uniones perpetuas Beneficiorum facere, & ista postmodum simul ab eodem possideri; prout concessit idem Tridentinum Sess. 21. de Reform. cap. 5. Tandem ob præfatam causam quandoque Dignitati, vel Canoniatui accessorie annexa est Ecclesia Parochialis, quæ per idoneum Vicarium administrari, ac simul cum Canoniatu retineri potest, text. clar. c. Extirpanda §. Qui vero, de Præbend.

In quibus casibus plura simul Beneficia haberi possunt?

QUÆSTIO III.

Quid, & quotuplex sit Renunciatio Beneficiorum, & ex quibus causis fieri possit?

28. **C**ONCL. I. Renunciatio est spontanea Beneficij Ecclesiastici dimissio, facta coram legitimo Superiore id acceptante. Ita in re communis.

Renunciatio Beneficij, quid? Non valet, nisi fiat coram legitimo Superiore.

29. Dicitur, facta coram legitimo Superiore. Siquidem Beneficia Ecclesiastica non nisi in manibus Ordinarij, hoc est, ipsius auctoritate interveniente resignari debent, c. Si qui vero, & c. Si quis Trebyter. 7. q. 1. Et aliter facta resignatio non est valida; atque dimittens Beneficium sine licentia sui Prælati, potest compelli ad illud reassumendum, etiam per Censuras Ecclesiasticas c. Non oportet, 7. q. 1. & c. Admonet, de Renunciat. cum concordantijs.